

Dissertatio inauguralis medica de podagrae praeservatione / [Anton Christoph Cretlau].

Contributors

Cretlau, Anton Christoph.
Alberti, Michael, 1682-1757.
Universität Halle-Wittenberg.

Publication/Creation

Halae Magdeb : Litteris Hendelianis, [1729]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/cu4dv43m>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA,
DE
PODAGRÆ
PRÆSERVATIONE,

Quam,

AUSPICE DEO PROPITIO,
Et Consensu atque Auctoritate Gratiſſe Facultatis Medicæ,
IN ALMA REGIA FRIDERICIANA,

P R Æ S I D E

DN. D. MICHAELE ALBERTI

SACR. MAJ. REG. BORUSS. AULICO ET CONSIST. MAGDEB. CONSILIARIO
MED. ET PHILOS. NATUR. PROFESSORE PUBL. ORDIN. ETC,

DECANO H. T. SPECTATISSIMO;

Domino Patrono, Præceptore ac Promotore ſuo omni honoris cultu proſequendo,

PRO GRADU DOCTORIS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS ET PRIVILEGIIS
DOCTORALIBUS LEGITIME IMPETRANDIS,

HORIS LOCOQUE CONSVETIS,

ANNO MDCCXXIX. D. JANUAR.

PUBLICAE AC PLACIDAE ERUDITORUM VENTILATIONI

SUBJICIET

R E S P O N D E N S

ANTONIUS CHRISTOPHORUS CRETLAU

RIESENBURGO - BORUSSUS.

HALÆ MAGDEB. LITTERIS HENDELIANIS.



PROOEMIUM.

Podagræ notionem abhorrescunt non modo divites, in promiscua vitæ ratione constituti, sed seorsim etiam Medici, quorum curæ & directioni hic affectus anxie commendatur, unde quidam vel omnem spem & fiduciam quoad ardui hujus morbi medellam despondent, vel alii in tantum quidem, licet non in totum mitigationem, lenitionem & auxilium in eodem promittunt, quidam denique ad singularia, arcana, specifica & velut miraculosa antipodagrica confugiunt, quibuscum hunc affectum aut curare, aut præservare contendunt: interim mox alii cum *Ovidio* acclamant: *solvere nodosam nescit medicina podagram*, hinc *Sydenhamius* in *tr. de Podagra* p. n. 489. dicit: *Therapia radicalis & usque quaque perfecta, qua quis etiam a diathesi ad hunc morbum*
fo-

foret liberatus, adhuc in Democriti puteo latet, atque in naturæ sinu reconditur, nescio quando aut a quibus in lucem extrahenda: eadem ferme est ingenua Raici de Podagr. p. 46. confessio, quod multa quidem de cura podagrae constant promissiones, perexigua tamen impletiones; qualia testimonia magno numero produci possent, si necessitas requireret: *conf. Pansa in app. consil. antipod. special.* Et sane si in hoc diro & duro morbo aliquam salutem promittere mallems, illud *Petrarchæ Part. 2. dialog. 84. de remed. utriusque fortune* acclamare debemus: *Si salutem cupis, aut pauper sis oportet, aut ut pauper vivas:* hoc consilium satis probatum & *Præservativum* est pro arduo hoc morbo; quo difficilior itaque hujus doloris est sanatio, eo magis præstiterit illius adventum anticipare & avertere: hinc huc quadrat, quod *Q. Serenus* cecinit: *non semper præsens dolor est, sanabilis ergo cura magis prodest venturis obvia morbis:* quis itaque tam adversum, tam molestum, tam inhumanum, tam per tinacem, tam immisericordem, tam crudelem expectet hostem atque hospitem, quin illius accessum opportuno intercipiat tempore; nam secundum *Plutarcum in Lucullo* *Occasio* tribuit momentum medicamentis & salutis & necis adferende & juxta *Heliodorum in Lib. 4. hist. ethiop.* *omnis affectio, quæ cito cognoscitur, facile curari potest, sed quæ tempore inveterascit, prope modum est insanabilis:* turpius enim hic ejicitur, quam non admittitur hospes: Omnium quidem morborum præservationes, præ curationibus prærogativam laudis, æstimationis & dignitatis merentur,
Po.

Podagræ vero præservatio, tanto magis utilis & necessaria est, quo facilius pertinacem ipsa amplectitur qualitatem: interea in Cura & præservatione Podagræ non absolute tota spes projicienda est; hinc solide & perspicue Raym. Jo. Fortis in Consult. & Respons. Med. Tom. II. Cent. 4. conf. 68. p. 568. scribit: illud nobis dicendum venit, quod, qui bonam victus rationem tenere nequeunt, iis optimam medicinam præscripsisse supervacaneum fuerit; multi enim dicebat Celsus, cum ex toto convalescerent, periculose vita genus subito mutant, & inordinate agunt, sicque, ut Aretæus, tanquam ab inferis elapsi licentiosorem vitam ducunt; unde delicatos curandos non contingere melius & fortunatius dicebat esse Aetius: & licet qui veneri & gula indulgent, si hereditaria his accedat imbecillitas in articulis, difficulter admodum præservari possint; nihilominus pronunciavit Hipp. 2. prædict. 15. quod qui Juvenes sunt & nondum tophos contraxerint, si medico intelligenti obedientes fuerint, accurate vivant, laboris amantes & alvum apertam servant, sanari, magisque præservari possint. Prudentis, periti & ingenui itaque medici officium est, ut iusto tempore præservationem instituat, ne imminens & metuenda Podagra prima ingruat vice, & curationem ordinet, quo funditus & radicitus malum hoc extirpetur; nullam enim hic morbus moram patitur: & quamvis assertum Fortis l. c. Cent. 1. conf. 30. p. 50. Podagra quamvis sit morbus, est tamen affectus, qui non raro habet rationem boni, dum natura ipsa, ad tuendas & præservandas nobiliores partes, redundantes vitiosos humores ad ignobiliores per modum crisis, per

per decubitus appellata deponit & malum pro minori mālo excitare conatur, aliquas veritates contineat; nihilominus consultius est, hoc molestum & sub multis cruciatibus acquirendum commodum præoccupare, & alio subsidio vitæ & sanitati proficuo sublevare: etenim commoda illa, quæ de se promittit & recenset Podagra in sua Apologia apud Camerarium in Syllog. memor. Cent. XII. partic. 1. perquam limitata sunt: unde ipsa Podagra eloquitur; non ego tam noxia, sed ipsi sunt, qui me deliciis suis inescarunt, ipsi sunt, qui me invitam retinent, ipsi sunt, qui omnia pervertunt, ac inde totam in me culpam convertunt: adsum, abesse me volunt; absum, vitiis suis revocant: in morbo sanitatem, in sanitate morbum quarunt: salutem propriam negligunt, ac illam a me non desinunt repetere; sibi ipsis malefaciunt, & a me beneficentiam exigere justum putant, turpiter volunt vivere, inde mihi nequiter maledicere: ast tanta ministeria atque emolumenta a Podagra vix desiderare & expectare debet, qui aliis mediis atque modis illibatæ sanitatis regularem successum prosequitur: quam ob rem semper melior processus est ordinatis & securis, quam extraordinariis & ambiguis mediis sanitatem defendere, nec morbum morbo, aut vim vi pellere: Quare præsentī Inaugurali specimine de PODAGRÆ PRÆSERVATIONE brevem meditationem instituemus: Faxit divina benedictio ut nostrum propositum salutarem metam attingat.

§. I.

Præservatio Podagræ aut in *totum*, aut in *tantum*, aut *relative* succedit: de *priori* nobis hoc the-
mate & hoc loco non est sermo, sed de *posteriori*, videlicet, quomodo *frequentior* & *acerbior* re-
cursus Podagræ averti debeat, quæ si *semel* aut
aliquoties subjecta sua occupavit & *consuetis* cru-
ciatibus atque tormentis detinuit, imposterum novos
& *iteratos* insultus comminatur, ne itaque tales atroces
paroxysmi *sæpius* revertantur, neve gradu & vehemen-
tia augeant, *præservazione* congrua opus est; quæ si
intermittitur & negligitur, certo huius morbi *graviores*
insultus pedissequos habet; & dum in *Paroxysmis* Poda-
græ, consentiente Sydenhamio l. c. p. 482. *nihil magniten-
tandum* est, ita *extra illos* commoda, & congrua *Præser-
vatio* locum invenit: hæc methodus *Præservatoria* aut
in *recentiori*, aut in *adultiori* Podagra locum invenit, in
priori majori & *meliori* efficacia operatur, in *posteriori*
æque *aliqualem* utilitatem conciliat: interea hæc *Præ-
servatio* & *morbo* & *subjectis* accommodata esse debet,
quoniam *scrupulosa*, *speculativa*, nimis *artificiosa*, em-
pirica, rigorosa & *impetuenta* *Præservatio* præsentem affe-
ctum potius *invitat* & *accelerat*, quam *avertit* & *infrin-
git*: neque porro hæc præoccupatio *tam cito* perfici,
aut *uno alterove* consilio ad *finem* & salubrem effectum
deduci potest, sed *constantem* usum & *sedulam* obtem-
perantiam requirit: tanta enim *multos* podagricos deti-
net *impatiens* & immorigera animi qualitas, ut *semel pro
semper* ab hoc affectu præservari mallent, & deinde *pri-
stinis* suis moribus & consuetudinibus inhærere possent,
tali enim modo non modo ordinata & *inchoata* *Præser-
vatio frustranea* erit, sed affectus *majori robore* subjecta
cor-

corripiet & pertinaciori *cruciatu* eadem vexabit: neque etiam expedit *præservatoriam* & *curatoriam* methodum *inter se* confundere, quoniam inde malum hoc magis *exacerbatur* & confirmatur, imo ita *corrumpitur*, ut imposterum adminicula *præservatorio* scopo adhibita aut nullam, aut *contrariam* efficaciam exserant: denique hæc prophylaxis haud consiliis & auxiliis *valde* commoventibus & *sensibiliter* afficientibus administrari debet, quoniam hic affectus ex *levi* cœteroquin causa *graviter* irritari & accelerari potest & solet.

§. II.

Cum hac Præservatoria methodo tanto *major* circumspectio & dexteritas observanda est, quo magis *sonitica* & *peculiares* qualitates & circumstantiæ hunc affectum comitantur, quando videlicet ex hæreditaria dispositione homines corripit, quando *juniora* subjecta invadit, quando temperamenta *calida* affligit, quando ex gravissimis erroribus *dieteticis* provenit, quando *immorigerum* aut *sensibilem* valde animum in sui Patrocinium ducit, quando cum *intricata* salutarium *evacuationum* five *ordinariarum* five *extraordinariarum* perturbatione & suppressione conjunctus est, quando cum diversis *aliis* morbis, velut *arthritide*, *nephritide* & malo *hypochondriaco* connexus, siquidem illius connubium cum *articularum* & *renum* morbis plurimi medici, cum malo *hypochondriaco* vero *Wedelius* in *Amoenit. Mat. Med.* p. 65. restantur, quam observationem multa attentione in tota therapeutica Podagræ tractatione connectendam esse judicamus: ita porro annotare convenit, an in podagrico affectu antea *multa*, *suspecta*, *contraria*, *potentiora* medicamina, aut *diversæ* & *perversæ* medendi methodi adhibitæ fuerint, maxime vero an *opiata*, *martialia*, *vomitiva*, *purgantia*, *mercurialia*, *adstringentia*, valde *emollientia*

entia, multa & varia *topica* usurpata fuerint: nam sub harum similiumque aliarum circumstantiarum præsentia, hæc podagricos recursus *avertens* methodus *difficilior* est, adeoque tanto *majori* & *curatori* vigilantia & *providentia* dirigenda erit: in genere quidem & quoad *fundamentum* hæc Præservatio apprimè *singulis* illis *causis* tam *proximioribus*, quam *remotioribus* respondere debet, quæ hunc affectum aut *primo primum* provocant, aut in *futurum* accelerant & *exacerbant*: unde facile liquet, quod hæc Præservatoria methodus *non unico* absolvatur consilio, dum interdum *prægressa perversa* consilia & *auxilia corrigenda* & *removenda*, alia vero selecta & congrua *supplenda*, *ordinanda* & *legitime* etiam exercenda sunt. In hac vero ingenua & salutaris intentione præservandi molestum hunc morbum *oportet*, ut cum *Hippocratis* verbis eloquamur *Secl. 1. aph. 1. non modo se ipsum exhibere, quæ oportet facientem, sed etiam ægrum*: inde etiam provenit, cur hæc præservatio *non semper* exoptatum nanciscatur scopum, dum vel a partibus *medici* interdum, vel a partibus *subjecti* affecti nonnunquam *talìa* committuntur, quæ *haud* quadrant; vel quandoque *medici salutaria* consilia & adminicula subministrant, ægri vero contra *immorigero* suo animo omnem *bonam* intentionem & directionem destruunt, corrumpunt, impediunt: & sane *arduum* officium est *præservare* Podagram, cum plurimi, qui in hunc affectum *propendent*, aut delapsi sunt, *talibus* præditi sint qualitatibus, ut *salutaribus* consiliis *haud facile* annuant & obtemperent, adeoque *invasionem* quidem huius morbi admodum *aversentur*, *media* vero hunc affectum *avertentia* neque *recte*, neque *rite*, neque *sufficienter* admittant & adplicent, hincque sua *morositate* & *reluctantia* & *sibi* & *medicis* ingenuis, peritis & officiosis *oneri* sunt.

§. III.

Principalis causa, ad quam in *curatione* & *Præservatione* Podagræ attentio dirigenda est, consistit in processu *Hæmorrhoidali*, qui in iusto suo *nexu* cum aliis causis *concurrentibus* annotari meretur: & sicut officium *concoctionis* facilioris aut difficilioris, excretionis *alvi* liberioris aut impeditioris, evacuationis *urinæ*, *diaphoreseos*, *seri* & *bilis* acrioris *collectio* & *coacervatio* cum negotio hæmorrhoidali *multiplicem connexionem* habet, ita hisce etiam causis in præservatoria methodo prospiciendum est, servato tamen hoc discrimine, ne tales causæ *secundariæ*, quæ negotium hæmorrhoidale vel in *melius* vel in *deterius* alterare possunt & solent, pro *principali* & *formali* æstimentur & tractentur, alioquin facile illæ decisiones primatum obtinent, quod Podagra a *lesâ* *concoctione*, a *cruditatibus* ventriculi, ab *acido* hypochondriaco, ab *acrimonia* sanguinis, *seri* & *bilis*, ab *impuritate* sanguinis &c. proveniat, ad quales causas dehinc si *principalis medica* tractatio dirigitur, vel negotium haud *advota*, vel plane *sinistre* succedit, cum contra sub iusto tali nexu & causarum consensu Podagra *medico studio* tractata paulo melius, securius & facilius opitulationem *quandam* admittat: ita causa causam movet, & facile in *sensibili* hæmorrhoidali negotio nunc *remotiores*, nunc *proximiores* irritationes concurrunt, quæ *anomalias* hæmorrhoidales in *schemate podagrico*, licet sub *alieno* quasi specimine excitant: quare turbæ *primarum viarum*, vitia se & excretionis *urinæ*, molesta & vehemens *comotio* sanguinis, *acrimonia* *seri* illos motus *eminus* provocare solent, qui alias licet *irregulari* modo hæmorrhoidalem fluxum prosequi assolent: qualis *parallelismus* in *Mensium* negotio occurrit, quorum *defectivum* statum, varii morbi comitantur, qui *primo* intuitu nihil commer-

cii

cii cum iisdem habere videntur, & quales morbi a variis *aliis* causis excitantur, quæ *proxime* cum Mensibus iterum *nihil affinitatis* habere comparent.

§. IV.

Ad præservandum novum & gravem Podagræ *recursum* non modo *illa* consilia & adminicula conducunt, quæ ad *absolutam* hujus affectus præoccupationem conferunt, & ex parte in congruo rerum *nonnaturalium* usu consistunt, & quæ præcipue *accuratam* rationem *Dietæ* & justum moderamen *animi* complectuntur, unde *irritamenta* præcipue hujus mali avertuntur & *salutarium* evacuationum *libero* successui efficax & congrua *sublevatio* accedit; hinc ex illarum rerum *incongruo* usu aut actuali *abusu* fonticus hic affectus allicitur & acceleratur, quam ob rem illa consilia & auxilia, quæ in *disp. D. D. Præsidis de Podagra Præservanda* commendata prostant, hoc loco æqualem commendationem merentur: proinde vero seorsim ordinamus, quo ventriculus in *legitimo* officio *concoctionis* conservetur, ne vel suspecti *alvi* fluxus, vel molestæ *flatulentia*, vel præjudiciosa *alvi obstructiones* excitentur, ne ventriculus & primæ regiones multis *cruditatibus* onerentur, quæ non modo liberum *progressum* sanguinis per organa & regiones, cum *hæmorrhoidali* negotio valde *consentientia*, turbant & *impediunt*, sed & reliquas functiones præparatorias, depuratorias, se- & excretorias, perinde cum motibus hæmorrhoidalibus facile *conspirantes*, alterant & pervertunt: imprimis quidem a *plenitudine* victus sedulo abstinendum est: hinc *Fernelius* & ex illo *Fortis* Tom. II. Cent. 4. *cons. 68. p. 568.* adserunt, quod *ciborum detractio & probitas præcaveat a Podagra & quod famem interdum tolerare bonum sit*: quo loco insuper *simplicitatem* in victu præferimus, ne videlicet *multiplices* cibi horumque

præparationes diversæ, adversæ & confusæ ingerantur: hinc recte Sydenhamius tr. de Podagra p. 475. dicit: *unica Ciborum specie singulis partibus vescendum arbitror, cum varia carniū genera simul ingesta plus ventriculo molestiæ facessunt, quam unicum, quod omnia ista quantitate exæquat*: temperantia itaque in cibo & potu in hac præservatione multam commendationem meretur. Proinde potulenta & alimenta non sint frigida & simul valde refrigerantia, neque nimis spissa, sed singularum excretionum facilem successum allevantia; siquidem potus modice calidus plus utilitatis affert: quid? quod multis Podagricis consultum est, quo ab usu Cerevisiæ abstineant, & vino non nisi selecto parcius utantur: de reliquo etiam hoc loco consilium Fortis l. c. commendationem meretur; quando differit: *Varietas ciborum tanquam pestis fugienda; minus enim nocet simplex cibus malus, quam bonorum multiplicitas; simplex itaque cibus est, non solum ut unus, verum & a condimentis immunis; coquorum enim apparatus est præcipua cruditatum causa &c.* & ita vitiosa Dieta multi sibi Podagram accersunt, temperata vicissim & congrua, plurimi illam præservant & minuunt.

§. V.

Præterea ad Podagræ præservationem eximie confert *modica & constans corporis exercitatio*; quemadmodum nonnulli medici etiam *motum corporis in curatione Podagræ extollunt*: ita Sydenhamius l. c. p. 483. asserit: *quamlibet enim in paroxysmi initio ægro impossibile videatur, ut lationem in currum, multo minus ejus motum ferre queat; attamen si id tentaverit, non ita diu post sentiet, se minus à tali motu dolere quam cum se in cathedra domi contineret*: præcipue ad avertendam Podagram conducit *Equitatio moderata, modo urgens Calculosus status* haud con-

contrarietur; in genere vero activitas corporis, labor, exercitatio quælibet modica proficua est Podagricis: de Equitationis utilitate in Podagricis emphatice proficitur Sydenh. l. c. p. 481. Sane diu multumque mecum reputavi, quod si cui innotesceret medicamentum, quod & celare vellet, æque efficax in hoc morbo, ut in chronicis plerisque, ac est Equitatio constans & assidua, opes ille exinde amplissimas facile accumulare posset: Fortis l. c. p. 570. dicit: motus corporis nullo modo negligendus, præf. matutinis horis, etiamsi pedes ægre laborem ferant &c. perinde Hippocrates Podagricis labores commendat Prædict. lib. 2. §. 15. neque desunt multiplicia exempla, ubi præter bonam dietam, sine usu remediorum mobili vitæ genere Podagra optimo cum successu præservata & singulæ excretiones in legitime statu conservatæ fuerant: quam ob rem congruus motus corporis præstantissimum subsidium adversus Podagram subministrat. Baglivus Prax. Med. Lib. 1. cap. de Calc. & Podagr. dicit: Podagrici si aliter exerceri non possunt, exerceantur voce, scilicet vel libros alta voce legendo, vel cum amicis colloquendo, vel canendo &c. &c. Porro multum ad evitandum novum insultum podagricum conducit temperies in calore & frigore, ne videlicet universum corpus excessiva tali qualitate affligant, siquidem nimis calor & æstus præjudiciosam ebullitionem sanguinis concitat, cum qua facile perversa molimina hæmorrhagica congestoria, febrilia, spastica. erysipelacea coincidunt: frigus vero intensius sanguinem inspissat, & coacervat, excretiones impedit, liberam progressum sanguinis etiam per abdomen turbat & ad varia alia ardua & anomala molimina excretoria, difficulter tamen decurrentia, contribuit: præcipue vero pedes in temperato calore conservandi, & a frigore defendendi sunt, quoniam hoc facile ad novam fibrarum spasticam tractionem & exercita-

tionem disponit, dum ipsumet talem *obrigescentiam* fibrarum motricium causatur: neque etiam podagrici in pedibus bene perferunt fomenta cum *pelliceis* & *plumaceis* vestimentis, quæ potius *contrariam* operationem exserunt, dum tacite *nimum* partes exæstuant, sudationes *præjudiciosas* causantur, quæ facile cum *subitanea* peripheriæ constrictione & suspecta sudoris *repressionem* alternant, unde nova occasio ad *motuum* alterationes & affectus, qui alias facile in *habitualement* qualitatem inclinant, oritur: hinc *Joh. Raym. a Fortis l. c. p. 568.* dicit: *partes affectæ, pedes nimirum & manus, nec nimis caleant, nec nimis frigeant, & siccæ potius, quam humide detineantur.*

§. VI.

Ad Podagræ *præservationem* non parum porro confert, ut *ventriculus* suo officio condigne satisfaciat, ne videlicet *concoctio* turbulenter aut difficulter succedat, ne *crudus* & *crassus*, neve impurus chylus generetur, ne molestis *flatibus* inde causa accrescat, ne *alvi* & *urinæ* perverso successui aut retentioni occasio præbeatur, ne *calculi* genesi & exacerbationi ansa subministretur, ne sanguinis *spissitudo* invitetur & augeatur &c. quare *modica* ciborum congruorum ingestio conducit, *nimia* saturatio vitetur, aromaticorum usus sit temperatus, ex illis vero *cardamomi* & *maceris* usus præ aliis confert: vinum pro *concoctione* allevanda conducit *adulturn germanicum*, aut *medico* usu *hungaricum*, ut & *rhenanum enulatum*, (quale etiam *Horstius* commendat *Lib. 3. Part. 2. obs. 1.*) aut cum aqua *Selterana*, aut alia temperante & excretionem placide promovente, mixtum: proinde sub cibis herbæ *salviæ*, *thymi*, *menthæ*, *majoranæ*, *baccæ lauri* & *juniperi* conveniunt, quales species *ventriculi robur* conservant, & *concoctionem* faciilitant: *salis com-*

munis usus sit *sufficiens*, ast non *nimius*; interim etiam *scrupulosa* abſtinentia ab hoc ſale, concoctioni neceſſario, valde *adverſatur*; multum enim hoc ſal ad *concoctionem*, nec non *alvi* & *urinæ* promotionem inſervit: *temperatus* usus *oleorum* lenientium, *diætica* adplicationi quadrantium, perinde pro ſcopo præſervandi Podagram conducit, dum non modo *excretionem* alvi & *urinæ* *facilitant*, ſed & *fibris* leniendis, *acrimoniæ* inimicæ involvendæ, *progreſſui* ſanguinis adjuvando, humorum *fluiditati* promovendæ, & *concoctioni* quadantenus allevandæ inſerviunt; qualia olea *calculoſo* podagricorum ſtatui non exiguam *opem* adferunt: eo etiam quadrant *pinguedines* & *gelatinæ* moderato uſu adhibitæ, modo talia ſubjecta *juſto* tempore ordinentur, quando ventriculus & inteſtina a multa colluvie *bilioſa* libera ſunt: proinde ex eodem reſpectu *juſcula temperata*, & liquida alia diætica ſimilem opitulationem ad *avertendam* Podagram conferunt; quæcunque vero ſubſtantiæ ſub diætâ cum *bile* valde fermentant, aut hanc facile *commovent* & *alliciunt*, velut carnes ſuillæ, vervecinæ præc. *pingues*, illæ ſollicite omittendæ ſunt: neque etiam *dulcia* copioſa & sæpe ingeſta, neque *acida* podagricis conducunt, quæ potius hunc morbum *nutriunt* & ſaginant, quam minuunt, & avertunt: *piſces* *crassa* carne præditi, marini, aut chylum *viſcidum* præbentes, ut & ſimilia aquatilia & *marina* ſubjecta, velut oſtreæ, cochleæ, cancri majores marini podagram certius *accelerant*, quam præſervant; qualia ſubjecta propterea ventriculo haud offerenda, ſed rectius ſubtrahenda ſunt.

§. VII.

Inter alia Podagricum *recurſum præſervantia* adminicula admodum conducunt ſubjecta, primas vias ab in hærentibus *bilioſis* aliisque *ſalfis*, acribus & viſcidis impu-

puritatibus liberantia, quo imprimis conducunt *lenientia*, diluentia, aquosa, tenuia gelatinosa, mucilaginosa, partim *dietetica*, partim *pharmaceutica*, decocta avenacea, hordeacea, C. C. eboris, oryzæ, passulata &c. quare Baglivus in *Prax. Med. Lib. I. de calcul. & podagr.* Aquæ potum podagricis commendat: proinde conveniunt *mitiora* laxantia, passulæ laxativæ, pruna laxativa, magnesia alba, Manna cum decocto hordei soluta, tamarindinata, rhabarbarina, rosacea, violacea, nec non interdum *clysteres lenientes* & mitius roborantes: conferunt etiam *vernalibus & autumnalibus* temporibus vina medicata ex rad. helen. caryophyllat. pimp. alb. vincetox. gentian. rubr. herb. menth. absinth. card. ben. betonic. flor. cent. min. chamom. offic. bacc. laur. & junip. Cort, aurant. sem. fœnic. Passul. maj. & min. tamarind. rad. polypod. helleb. nigr. Crystall. tart. parata, cum aqua *subterranea* temperationi diluta: absint vero *cruda aloëtica*, quæ interdum cum *opiatis* sociantur, & mirifice ad podagram curandam, & præservandam laudantur: absint etiam alia fortiora purgantia, velut Ialappina, scammoniata, asarina & similia: neque etiam *hermodactyli* singulare quid præstant, licet ab antiquioribus græcis & arabibus medicis virtus ipsis adscribatur, quod *salfos, tartareos* humores, quos cruciatuum spasticorum, arthriticorum, nephriticorum, podagricorum principalem causam esse reputant, evacuent: per intervalla vero *præservatorio* etiam scopo Podagricis conducunt *aloëtica* refracta dosi & *correcta* oblata, combinanda cum extr. c. b. cent. min. gent. rubr. absinth. G. ammoniac. & addito extr. rhabarb. aut exiguo nitri fixi: *Vomitoria* raro & haud *directe* præservandæ Podagræ quadrant, quin potius ad illius *retropulsionem* lethiferam inserviunt, interim in *specialissimis* circumstantiis vomitorium *ali-*
quan-

quando podagricis conceditur, haud vero *absoluto* respectu ad *praeservandam* podagram, sed potius *relativo*, quando interdum *cruditates* in ventriculo haerentes reliquam praeservatoriam methodum *turbant* & sufflaminant, aut citius & efficacius motus *haemorrhoidales* pervertunt. Porro leniora *diuretica* velut Rad. ari, helenii, pimp. alb. vincetox. bacc. laur. succin. sem. anisi, foenic. quæ simul *carminativa* sunt, ad Podagræ *praeservationem* inserviunt: hinc congruo tempore Tinct. antimon. tartaris: spirit. sal. ammoniac. anis. Ess. succin. bacc. juniper. spirit. nitr. dulc. mixta, & modica quantitate oblata conveniunt: pro *eodem* scopo conferunt aquæ subterraneæ *praeservatoria* methodo ordinatæ, velut Selteranæ, Dynstadinæ, Wildungenfes, Sedlicenfes, interposito remedio temperato carminativo aut pilulis Stahlianis per intervalla adhibitis.

§. VIII.

Præter hætenus laudata conducunt *praeservatorio* scopo remedia bilis & feri acrimoniam *temperantia*, & simul placidam *diuresin* promoventia, mediante qua tales *impuritates* evacuantur, sicut subinde *talia* remedia *præjudiciosam* sanguinis *ebullitionem* coërcent & mitigant; talia sunt *absorbentia* sive *preparata*, sive cum *acidis* saturata, lap. 69. citrat. Conch. tartarificatæ, magisterium C. C. corall. rubr. ppt. succin. alb. ppt. nitrum purific. arcan. duplic. cum modica cinnabaris quantitate mixta; aut conducit aliquando Elixirium ex aqua C. b. menth. liquor. nitr. fix. extract. bacc. juniper. cent. minor. gentian. rubr. vincetox. helen. rhabarb. chamomill. offic. nonnunquam conferunt infusa Theiformia ex rad. Scorzon. Chichor. Gramin. Sarsapar. Liquirit. Parreiræ bravæ, herb. Thee, veronic. Cent. min. tussilag. malv. flor. chamom. offic. papav. rhæad. sambuc. sem. foenic. bacc. juniper. passul. minor. cum aqua & lacte conficienda & haurienda. Multum proficit, quo *transpiratio* insensibilis in æquali successu perennet; imo nonnunquam *temperatæ* diaphoreses conveniunt, quæ potius cum

decoctis temperatis, hætenus commendatis, quam cum concentratis & sanguinem *valde commoventibus* invitandæ sunt; quo scopo vel *simplex* decoctum herbæ *Thee*, quod *Baglivus* Podagricis commendat (tale decoctum *præservativum antipodagricum* laudat pariter *Fortis Tom. II. Cent. 4. conf. 67. p. 568*) aliquando satisfacit, conf. *Theodatus in Valetudinario, Muys. in Podalir.* aliique: huc etiam conducit *Ess. helen. vincetox. pimp. alb. valerian. Cascarill. succin. spirit. nitr. dulc.* hisce auxiliis annumeramus *blandas fomentationes siccas* pedum & inferioris corporis regionis, ut hac ratione modica diapnoës invitetur, servata illa *cautela*, ne sudor aquosus & *impetuosus*, cum multa *commotione* sanguinis excitetur.

§. IX.

In hac *præservatoria* methodo opportuna V. S. negligenda haud est, quamvis illam neque ad *præcavendum Paroxysmum, qui timetur*, *Sydenhamius* admittat *l. c. p. 466.* quod iudicium vero ex certa opinione, quam de Podagræ causa fovet, minus tamen firma & sufficiente formavit: hinc *Lael. a Fonte Consult. 14. p. 103. Avicennam & Aetium* conciliare & interpretari vult, quoad usum V. S. in Podagra, dum ille V. S. in Podagra *præsentē* rejicit, hic in *imminente* probat & admittit: ita *Celsus V. S. in lib. 4. c. 24.* item *Feldmann de Dea Podagra p. 152. Pechlinus Lib. 2. obs. 26. p. 27. Fortis Tom. II. Cent. 4. consult. 67. p. 567. Hollerius ad Lib. 8 de Corp. med. perioche 8. de arthritid. p. n. 154.* imo innumeri alii *admittunt*, quæ tamen magis *præservatorio*, quam *curatorio* scopo conducit: Si *proximus* motus congestorii ad loca *hæmorrhoidalia* tendunt, tunc *fluxus* hæmorrhoidalis actualis paulo magis, attamen *circumspecte* promoveri debet, qui si difficulter ad *exitum* pervenit, *hirudines* ad hæmorrhoidalia loca applicari debent, modo hoc auxilium *iusta* methodo adhibeatur: ita etiam a quibusdam ad Podagram *avertendam Fonticuli & Vesicatoria* commendantur, vid. *Borellus Cent. 4. obs. 55. Scholzius Ep. 10. Schorer de fontic. Capivacius, Syl-*

Sylvaticus aliique: huc spectat historia *Mercurialis* Tom. 4. p. 175. de *Podagra a fonticulo sanato*: hæc vero auxilia non nisi *dubis* experimentis adscribi debent, quæ ad summum *palliativa* ratione *Podagræ* opem quandam afferunt: id quod etiam de *Moxa Indorum* sentiendum erit, quæ posterior *sensum* alterando simul *spasticos* hosce motus *obnubilat* quasi, & effectu suo obtundit, neque fundamentum aut *veram* morbi causam afficit, quare cum *Sydenhamio* judicamus, quod *beneficium* ab hoc remedio *proveniens* *fugax* existat: Quod *Salmuthus* Cent. 3. obs. 46. de *Præservatione Podagræ per selectam scarificationem* recensuit, id ad *selectum* etiam casum pertinet, neque pro *regula* therapeutica quadrat: quare *italia* consilia & auxilia in *præservatoria* methodo ordinanda sunt, quæ formali morbi causæ & plurimis propterea *Podagricis* respondent.

§. X.

Multa porro de *Curatione* & *Præservatione* *Podagræ* cum *Lacte* promittuntur & commemorantur vid. *A. N. C. dec. 1. an. 1. obs. 141. & an. 6. obs. 58. Fortis l. c. conf. 67. & 68. p. 567. 568. Sydenhamius l. c. p. n. 475. Hollerius de Morb. intern. lib. 1. c. 63. p. 340. Baglivus Prax. Med. Lib. 1. de Calcul. & podagra, & Lib. II. in fin. arthritidis præservativum utilissimum lac asininum esse proponit, Zac. Lusit. Med. Princ. Hist. Lib. 3. hist. 40. p. 590. multique alii, & seorsim quidam cum *Hippocrate* de articul. lac asininum, aliqui ut *Zac. Lus. Prax. adm. lib. 2. obs. 284. lac equinum* extollunt: utut vero diluentia, lenientia, gelatinosa & lacticina fibras *strictas relaxant*, *evacuationes* promovent, & dolores sedant, tamen *promiscue* *podagricis* haud conducit usus lactis, nisi copiosa & acris bilis, nec non *impuritas acida* e primis viis separata, nimiaque sanguinis *abundantia* imminuta fuerit: testantur enim exempla *contrariam* virtutem lactis in *arthriticis* & *podagricis* conf. *A. N. C. dec. 1. an. 1. obs. 141. p. 279. conf. Bravo de Lactis usu ad præcavendam arthritidem Consult. med. 3. p. 255. alia secura lenientia & sedantia papaveracea, ex flor. sambuc. chamomill, vulg. papav. rhæad.**

parata, Cinnabarina, Cascarilla, modicus *theriacalium* usus (quæ Sydenhamius ordinat) æque ad *præservandam* podagram in usum trahi possunt; haud vero facile illos imitandos esse suademus, qui cum *liberali opiatorum* usu Podagræ resistere cogitant, uti *Welschius in Hecatost. II. obs. 17. p. 19.* talem præservationem Podagræ Opii usu allegat; quale remedium quidem cito dolores obruit & stupefacit, haud tamen *radicali* Podagræ causæ secure satisfacit, unde ad *evitandos* finistros & *perniciosos* effectus ab opii usu in *Podagricis* metuendos *Pechlinus l. c. illis sudorifera* adjicienda esse commendat: *tutius* vero, si *securiora* constant, ab illorum usu *abstinetur*: quod *specifica*, quibus cum Podagra *averti* queat, attinet, tunc de illis valet, quod Sydenhamius *l. c. p. 487.* confessus est: *siquis objiciat multa esse remedia specifica ad Podagram, ego, me ea nescire, lubens fateor; & vereor, ne promissores isti perinde sint ignari, ac sum ego.* Quod denique remotionem Podagræ per *transplantationem* concernit, cuius *Guldenckle Lib. 7. epist. 7. & 8. Bartholinus Cent. 3. hist. 66. Læssel de Podagr. Sect. 2. membr. 2. artic. 2. §. 5.* mentionem faciunt, tunc illorum promissiones ulteriori usui & applicationi commendari merentur. Profunt etiam præservatorio usu *pediluvia* cum herb. serpill. Sideritidis, major. salv. rorisinar. flor. sambuc. aneth. chamom. offic. papav. rhæad. bacc. junip. parata. De reliquo omnia hæc consilia & auxilia *moderamen animi*, sæpius alibi commendatum, adjuvare debet; quod paucis quidem, sed satis *emphatice* hoc loco annotare placuit, quoniam *inquietus & turbatus* animus omnia *reliqua salutaria* consilia *destruit*. Sed nunc vela contrahimus, quia tantum *succincta* commentatione *speciminis* loco præoccupationem *novorum* insultuum Podagricorum explicare placuit. Annuat divina benedictio hisce consiliis, ut afflictis Podagricis solatium quoddam afferant, quo honor Dei amplificetur, & salus hominum promoveatur, qui sincerus omnium humanarum actionum esse debet

FRIDERICUS HOFFMANNUS,

ACADEMIAE h. t. PRORECTOR,

S. D. P.

CANDIDATO MEDICINÆ DIGNO

DOMINO CRETLAU.

Paffiones corporis humani internas sanare, imminentes morbos arcere, & externa vitia tollere, triplex est officium, ad unam artem salutarem referendum; quod qui sibi perficiendum proponunt omne, ii demum faciunt recte. Quam circumscripta enim sit Medici, tantum in curandis per pharmaca morbis occupati, potestas, optime norunt, qui in artis exercitio versantur cum ratione, ultro fatentes, acutos morbos omnes, nonnisi robore naturæ corporis, superari, & longos, imprimis obfirmatos, plus ut plurimum docta arte valere. In declinando autem morborum insultu, plus utique artifice præstare concessum; Simples enim sunt morborum causæ, ex parvis initiis succrescentes, quas expeditius omnino præscindere potest is, qui rerum salubrium & insalubrium vires tenet perspectas, quam si eruperunt in noxam aperte. Sed, quum ipsum hoc exquisitiorem physices & anatomes poscat cognitionem, & præterea tantum non omnes malint facere, quod lubet, passuri postea, quod oportet, vili penditur injuste præstantissima hæc Medicinæ pars & ab ipsis medentibus, ceu operosa, minus tamen fructuosa, negligitur. Quæ demum manu medetur Medicina, præ reliquis habet
cer-

certum, operationibus suis oculos magis incurrit, & ob id majorem administrandi conciliat admiratic-
nem, ac is capit, qui labem sanat internam occul-
tam. Qui autem solido fundamento nitens, artem
perite facit universam, næ! ipsum fama, favor
& opes manent. Tu quidem, *Candidate præstantissime*,
sic Medicinam addiscendi & exercendi propositum
cepisti laudabilem; Adolescens enim Chirurgiæ addi-
xisti studium, & tam egregie in ea profecisti, ut cum
laude pridem jam posueris tirocinium. Postea ad
Medicinam animum appulisti, & postquam eximi-
am Anatomies scientiam in Collegio Regio Beroli-
nenfi Tibi comparasses, nostram accessisti Acade-
miam, ac in ea avido ore hausisti solida artis præce-
pta, eademque tua reddidisti penitus. Neque eti-
am præcipuam Medicinæ de sanitate tuenda par-
tem Te neglexisse, testimonio est thema, quod
Tibi selegisti inaugurale, de præservanda podagra,
gravi certe morbo, & Medicorum plane scandalo,
ad quem depellendum tuto, nullæ, quantumvis la-
mentabiles, afflictorum voces, omnem exorare
possunt artem; sed quicquid Medicina potest, id,
vel avertendo truculenti mali insultum, vel atro-
ciam præsentis tantisper mitigando, præstat omne.
Hæc igitur cuncta, cum proba, candida, modesta,
& officiosa Tua indole, sperare jubent, Te, auxi-
lio divino, artis operibus nunc manum admotu-
rum cum fructu, nec defore laborum Tuorum
præmia. Eveniant, voveo, hunc in finem felici-
ter Tibi novi honores, & invenias Patronos, qui
favore suo virtutem Tuam provehant. Ego cer-
te, si quæ e re Tua fore, rescivero, ea conferre
non intermittam. Scribeb. Halæ Magdeburgicæ
Prid. Kalend. Januar. anni *CIDCCCXXIX*.

* * *

Egregiam Medica laudem, Dignissime Cretlau,
 Ingenio & studio partus in arte tenes.
 Hinc dum jure petis meritæ virtutis honores,
 Laurum temporibus neſcit Apollo tuis.
 Apprecor, aspiret primo fortuna Labori,
 Sit reliquæ Praxi propitiusque DEUS.

Georgius Daniel Coschvitz,

P. P. O.

Quum Sedecennis eras, chirurgus me uſe ma-
 gistro,
 Poſt annos Sedecim Doct̃or in arte clues.
 Sat cito, dum bene ſat! Seris venit uſus ab annis,
 Quos Tibi ter denos tres numerare datur.
 Augeat hos Numen! quod feſta genethlia Spondent,
 Atque onomaſtica, quis digna brabea capis.
 Gratulor, & ſicut me jam arte & honore magiſtrum
 Vincis, Sic ſuperes proſperitate precor.

*Maturo ac meritiffimo honori Affinis perquam
 dilecti novelli Doct̃oris applaudebat*

FRIDERICUS GAEYMANN,

Chirurg. & Civis Thorun.

LAUREa victorem dum Te jam digna coronat,
Virtutis decus & Nominis omen habes,
Ad nos pars decoris quoque, FRATER-
AMANDE, redundat,

Hinc totis illi plausibus accinimus.
Uterque optemus, Spectator honoris adesse,
Quem meritis tribuit Salais alma Tuis,
Sed quos non visus, non vox pertingit in oras,
Votum atque affectus sat penetrare valet.
Sis FELIX DOCTOR! Medici hæc palmaria dos est,
Qua sine nil docta ars, nil titulusque valet.
Paucis multa adeo fraterno ex corde precamur,
Sis FELIX MEDICUS! Semper & ipse vale!

Fratres germani

Christian Ernestus Cretlau,
Daniel Wilhelm Cretlau,
S. S. Theol. Cand.

